

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ I.U.D. P.P. ...  
Ad exequias, quas Puellae ... Annae Margarethae, Vir ... Dn. Michael Laurentii  
Ecclesiastes ad D. Jacobi ... paratas cupit. Omnes Reipub. Acad. cives officiose  
& amanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1667


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771916485>

Druck Freier  Zugang




Redeker, H. R.  
in  
A. M. Laurenz.

Rostock, 1667.







RECTOR 111.  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

HEINRICUS RU-  
DOLPHUS *Redeker*/

J. U. D. P. P. Sereniss. Ducis Mechl. Consil.  
& Consistorii Ducalis Assessor.

Ad exequias,  
quas

*Puella Elegantissima*  
*Filiola sua Charissima*

ANNÆ MAR-  
GARETHÆ,

*Vir Mult. Reverendus & Clarissimus*

DN. MICHAEL LAURENTII

Ecclesiastes ad D. Jacobi vigilan-  
tissimus,

*in ade Jacobæâ hodiè horâ. Iparatas cupit.*

Omnes Reipub. Acad. cives of-  
ficiose & amanter invitat.



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. 1667





Salutem!



Iscentur in hoc mundi  
theatro tristia lætis, & sub-  
textis bonis mala semper sunt.  
Et hæc fatali quadam lege, &  
immortalis Dei sanctione, ita  
evenire, ipse rerum mortali-  
um ordo ostendit. Neque  
enim sapientissimus rerum  
omnium arbiter sinceram &  
perpetuam vult esse volupta-  
tem humanam, sed sollicitum aliquid sapius interve-  
nire sinit. In eamque sententiam communi homi-  
num suffragio itum est, ut verissimum Comici effa-  
tum credant saniores: *Ita cuique comparatum est, in æta-  
te hominum, voluptati ut mœrorum comes consequatur.* Has  
enim vices & vicissitudines mortalium 'conditio ha-  
bet, ut, secunda ex adversis, ex secundis iterum ad-  
versa nascantur. Hujus rei si velim argumenta con-  
quirere, vel exempla contexere, magnus tum ex sa-  
cris, tum ex profanis literis sese offerret cumulus, imò  
ex omnibus orbis & vitæ humanæ partibus collecti-  
cottidiani eventus id testatum faciunt. Nec sane o-  
pus est operosius in id inquirere, quod præsens etiam  
dies docet, ubi puellæ elegantissimæ, quæ nondum  
Semis-



Semissem anni in hac mortalitate absolvit, exequiæ parantur. Nemo enim illorum, qui humanitatis lege reguntur, ignorare potest, quantum parentibus obveniat gaudium, dum liberi, in quibus familiæ splendor residet, nascuntur, & quantus iterum dolor animis parentum injiciatur, dum converso mortalitatis ordine è medio tolluntur, & in herba ipsa, quod ajunt, conculcantur, adeoque in ipso ætatis flore pereunt. Egregiè in hanc rem scribit Symmachus ad Protadium: *Nata, inquit, sobolis primus parentes dñes hilarat, mox pii metus brevem gratiam fugant:* verba quidem pauca sunt, sed admodum ponderosa, & ad rem præsentem apprimè facientia. Quis enim exprimere novit illam lætitiã, & illud gaudium, quod, ex liberorum procreatione, parentibus subnascitur? longam siquidem sibi spem faciunt futuræ, & in secula duraturæ felicitatis, quando vivam sui imaginem contemplantur. Solent enim liberi, qui aliquid bonæ indolis ostendunt, majorum suorum dignitatem æmulari, & ad paternarum laudum adspirare felicitatem. Inde Antoninus Pius, cum ultimam vitæ horam instare præsentisceret, admissis amicis, sententiam suam de filio, quem reliquit in vivis, aperuit: *Se æquo animo mori, inquiens, dum filium relinqueret. Eandemque opinionem de Alexandro Magno Philippus Macedo apprehendit. Sed, Deum immortalem! quantus sæpe succedit brevi gaudiõ mœror? quot audiuntur gemitus ac ploratus? quanti sentiuntur dolores, qui omne vestigium prioris gaudi extingunt, quoties spes concepta decollat, & in ipsis cunis succumbunt, qui amplam parentibus lætitiã promittebant. Expertus nocipsum est in hoc anno Vir Reverendus & Clarissimus Dns MICHAEL LAURENTII, Ecclesiastes fidelissimus, quando filiolam elegantissimam ANNAM MARGARE-*

GARETHAM, 31. die Januar. feliciter natam, 24. die Julii ejusdem anni, denatam luget. Expertus hic est, quod lætitiã comitetur dolor, & quod hæc duo, Deo sic disponente, indissolubili nexu cohæreant, & adamantinis confringantur vinculis. Ulti enim ex felici dilectissimæ conjugis partu, tanquam ex dono cœlitus concesso, maximum concepit gaudium, cum præprimis filiolarum suavissimam amplexus est: Ita jã ex immaturâ ejus morte, postquam in ipsis cunis expiravit, maximo mœrore colliditur. Percepit illud gaudium, illamque spem concepit optimus pater, quam concipere solent illi quibus amor liberorum solet esse cordi, considerans secum liberos esse divinæ benedictionis indubitatum argumentum, & , ut Regius Psaltes loquitur, Dei hereditatem, proinde non potuit non in sinu gaudere suo, quoties suavissimam suam filiolarum amplexus est, & felicissimi matrimonii fructus vidit. Filiolarum enim hanc voluptatem ac delicias suas, inter molestias seculi, esse putavit. Quamvis enim filia magnitudine animi masculis cedat, attamen, *Euripide teste*, blanditiæ eisdem longe superat. Sed quod perceperat gaudium, mox à tergo dolor infecutus est, & quam conceperat spem, vix extremis, ut dicunt, attigit digitis. Nec minus insperatus hujus filiolarum obitus matri, quæ cum conjunctissimo suo marito, idem gaudium & eandem longioris vitæ spem conceperat, gravissimum luctum intulit, pectusque ejus vehementissimè percussit, dum mors tenerissimam hanc infantem, in cunis adhuc vagientem, tam immaturè abstulit. Usque adeo brevis & fugax est hominis vita, levisque & fallax humana lætitiã, ut nihil constans aut perpetuum dicere possimus, illudque ipsum quod nos felicitatem vocamus, felicitatem præsentissimum. Ut discamus omnes, quot  
quot

quot nostrū superstant, mori, id nos doceat assidua mor-  
 tis rapina, & præsens exemplum. Meminisse ergo debe-  
 mus, non morituros nos aliquando, id enim securita-  
 tis est nota, sed cottidiè nos mori. *Brevēs dies, Jobo*  
*teste, hominis sunt, numerus mensum ejus apud Deum*  
*est: Constituti sunt termini ejus qui præteriri non poterunt.*  
 Et non tantum non præteriri dies illi decretorii, imò  
 nec sciri quam sint vicini possunt. Proinde ut simus  
 immunes à morte, sive ea subitò, sive serò advenerit,  
 semper cogitanda mors est. Verum enim vero quam-  
 vis gravis sit hic dolor, quem ex immatura filiolar  
 morte maestissimi perceperunt parentes, ipsi tamen ex  
 sacro codice, quod Christianum in morem confiten-  
 tur, maximum solamen hauriunt, quando in volun-  
 tate Domini quiescunt, & luctui modum ponunt, dum  
 certissimi credunt, eam non periisse, sed prævisse ex  
 hoc miserabili calamitatum teatro ad æternam felici-  
 tatem. Non enim amissa, sed, quia Deo placuit, di-  
 missa & præmissa est. *Cæterum ex honestissimis majo-*  
*ribus nata est in Dno defuncta virguncula ANNA MAR-*  
*GARETHA, Patre, jam tum laudato, Dno MICHAELE*  
*LAURENTIO &c. Matre autem, fœmina matronaliūre*  
*virtutum ornamento conspicua, ANNA Boltzen / Amplissi-*  
*mi atq; Consultissimi DN. THEODORI Suters Urbice hujus*  
*Reipublice Consulis gravissimamici nostri honori, qui pœdula*  
*hujus obitum itidem acerbè dolet, privignâ charissimâ.*  
*Avum paternum habuit Virum Amplissimum & Prudentis-*  
*simum MICHAELEM Laureng / Senioresem & Camerari-*  
*um hujus urbis, cum videret, meritissimum, Aviam pa-*  
*ternam vero laudat Fœminam sui sexus dotibus decoratis-*  
*simam, ANNAM Rochen. Avus maternus fuit. Vir Pru-*  
*dentissimus JOHANNES Bolte / Senatorio Ordini quon-*  
*dam ascriptus, Avia vero materna, Fœmina Clarissima*  
*MARGARETHA Martens / commemoratur, qua paulo*  
ante

ante suo obitu filiola huic defuncta ad caelos viam stravit.  
Proavus à patre laudatur, Vir Integerrimus MICHAEL,  
Laurens / Civis hujus urbis primarius, qui uxorem habuit  
ornatissimam TILSCHE Schmedes / Amatrem  
Proavus refertur, Vir honestate & dexteritate morum cla-  
rus JOACHIMUS Bolte / Civis & Zytbopæus inter pri-  
mos primus, cui conjux fuit charissima & dexterrima scæ-  
mina, ANNA Schulten. Hæc honestis simis majoribus  
pie defuncta nostra virguncula post Deum vita sua originem  
debet, atque protinus ipso, quo lucem aspexit, die, quia in-  
peccatis, uti omnes omnino homines, concepta erat & gene-  
rata, Christo per sacrum baptismum oblata & pars Ecclesie  
Christiana, cuius caput Christus, cooptata est. ex quo tempore  
maximam spem sibi parentes fecerunt, si defuncta nostra a-  
dolesisset, ipsam eleganti indole, quam integra vires osten-  
debant, instructam, Dei glorie promovenda servitutam olim,  
quod ipsum tamen Omniscius ille rerum omnium arbiter, se-  
cundum suam divinam providentiam, quandoquidem ani-  
ma defuncta ipsi optime in hac ætate placuit, ne malitia ullæ  
ipsam perverteret, secus voluit, adeoque obitum ipsius & disces-  
sum ex hoc mundo eò citius maturavit, siquidem sub finem præ-  
terlapsi mensis Junii, circa festum D. Johannis Baptista gra-  
vissimam quandam tussim cum continua febris perferensit.  
Quamvis autem parentes morbo illo cognito omnem restitu-  
enda valetudinis curam adhibuerint, & Excellentiß. & Ex-  
perientissimum Dn. D. JOHANNEM BACKMEISTE-  
RUM, Med. D. & P. P. nec non Arbiatrum peritissimum. Col-  
legam & Compatrem nostrum honoratissimum, ad se accer-  
serint, qui optima consilia & curam diligentissimam in cu-  
randa hac defuncta impendit, nihilominus tamen non fuit in-  
consilio aut ope humanâ, uti hæc a morbo, indies ingravescente,  
relevar etur, sed malum hocce arte doctâ longè plus valuit, a-  
deoque ita increbuit, ut nullus Medicina humana incurandâ


illâ

illa locus superesse videretur: Ex quo tempore cum omnia mor-  
tem minarentur, calidissima quidem preces ad Deum pro ipsius  
valetudine redintegranda fuse sunt, sed hora mortis jam dum  
aderat, quam, uti nullus mortalium, ita nec defuncta no-  
stra potuit superare vel prætergredi, ideoque 24. Julii, qua-  
drante hora post septimam vespertinam, in Deo, vite &  
mortis Domino, placidè & piè, in tenerrima ætatis suæ parte,  
nondum 25. septimanas integras, siquidem 6. hora defecerant,  
consecuta, obdormiuit. obitu autem suo magnum parentibus  
suis mœrorem intulit, quippe dudum illis exoptatus erat  
conjugii fructus, quem, cum se consecutos jam putassent,  
ecce spes in herba occidit & floris diurni instar vix nata  
iterum denata fuit. Jam autem inter cœlestes recepta  
omnes miseri hujus mundi angustias & tribulationes  
longè post se reliquit, & æternis gaudiis, in conspectu  
Dei, quem cum tota cœlitum turmâ, indefinenter  
laudat, fruitur, quam sortem & vices parentes ipsi non  
possunt invidere, sed Dei potius voluntati acquiescere  
cum Hiobo debent. Dominus enim, qui eam dedit, ite-  
rum abstulit, ipsius nomen semper benedictum esto in  
secula seculorum.

Quia autem parentes optimi hodiernum diem  
ad defuncti funeris deductionem constitue-  
runt, nostrum etiam erit ultimum honorem piè  
defunctæ exhibere, & mæstissimis Parentibus  
solatium præbere. Proinde omnes cujuscunq; or-  
dinis cives Academicos, prout cujuscunq; dignitatis  
vel statû ratio exposcit, rogatos monitosq; volo,  
ut hora 1. post meridiem hodie in æde Jacobææ  
frequentes, ad funeris hujus deductionem, con-  
veniant, & mortalitatis suæ singuli  
sefe commonefaciant.


P. P. Rostoch. sub sigill. Acad. die 29. Julij Anno 1667.











GARETHAM, 31. die Januar. feliciter na  
Julii ejusdem anni, denatam luget. Ex  
quod lætitiã comitetur dolor, & q  
Deo sic disponente, indissolubili nexu  
adamantinis confringantur vinculis. U  
lici dilectissimæ conjugis partu, tanquam  
litus concessio, maximum concepit ga  
præprimis filiolarum suavissimam amplexu  
immaturâ ejus morte, postquam in ip  
vit, maximo mœrore colliditur. Perc  
dium, illamque spem concepit optimus  
concupere solent illi quibus amor liber  
cordi, considerans secum liberos esse  
dictionis indubitatum argumentum,  
Psalmes loquitur, Dei hereditatem, pro  
tuit non in sinu gaudere suo, quoties si  
am filiolarum amplexus est, & felicissim  
fructus vidit. Filiolarum enim hanc volu  
licias suas, inter molestias seculi, esse p  
vis enim filia magnitudine animi mascul  
men, *Euripide teste*, blanditiæ eisdem  
Sed quod perceperat gaudium, mox  
insecutus est, & quam conceperat spem  
ut dicunt, attigit digitis. Nec minus in  
filiolarum obitus matri, quæ cum conjunct  
rito, idem gaudium & eandem longio  
conceperat, gravissimum luctum intul  
ejus vehementissimè percussit, dum  
mam hanc infantem, in cunis adhuc va  
immaturè abstulit. Usque adeo brev  
hominis vita, levisque & fallax huma  
nihil constans aut perpetuum dicere po  
que ipsum quod nos felicitatem vocant  
net præsentissimum. Ut discamus o

